



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancta Communitas, In Paupertate religiosa inviolata

Wissingh, Anton

Coloniae Agrippinae, 1699

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49611](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49611)

AD LECTOREM

Ad Lectorem amicum.

AMicis pauca loqui iussit Aristoteles ; cor namque amici paucis convincitur ; ubi autem amici cordis sinceritas deesse cognoscitur , ibi verborum etiam copiam non creditur. Totus hic liber (subdivisus in V. alios libros , ad honorem V. SS. Vulnerum Jesu Christi, & S. P. N. FRANCISCI) tibi loquitur ; cui proinde in charitate non ficta , ut spero , respondebis. Si erraverit stylus , benevolentiam connivebis ; si typus , menda silendo corriges ; si ordo , industriam supplebis : *Diligentibus* namque *Deum omnia cooperantur in bonum.* Si forte allegata auctoritas fuerit prolixior ; utique non improbabis , nam data opera fuit quaesita ; sacra enim Communitas non proprio iudicio , sed alieno comprobanda erat testimonio. Si miraris scribentis confidentiam ; hujus causam crede obedientiam , namque ex lege Dei , sub vinculo iuramenti , pro Provinciae causa communi laborantem ; pro qua est plus ardua adire & subire paratum crede auctorem : quem etiam monet *Eminentiss. noster Protector Cardinalis* in Epist. Pastoral. *ab inceptis non desistere , donec in omnibus formetur Christus.*

Utinam in hoc assequi possem angelicum documentum datum *S. Fintano* , cuius Festum incidit in 17. Febr. quo die haec scribo ! hic monitus ab Angelo , ut ea faceret , quae ei dicturus erat vir primò obvius ; obvium autem habuit mutum repente haec proferentem verba : *Omnia quacum-*
que

AMICUM.

que bona pro Deo inchoaveris, pro nullo homine ante exitum tuum dimittas, donec certamentuum consummes. Tales muti Doctores sunt libri S. Scripturæ, SS. Canonum, Constitutionum Apostolicarum, Decretalium; Regula quoque & Constitutiones Ordinis &c. qui libri sine verecundia, sine metu repulsæ ad cor loquuntur, & utrasque fortiter vellicant aures. Ab his itaque tamquam probatissimis divinæ voluntatis Notariis non desistam, non recedam, non dimittam, nunquam aliter sapiam: namque ex his loquendo, *ex me ipso non sum locutus.* Si autem ex me ipso minus bene aut minus bona, vel minus sanè aut minus sana locutus sum, ex amico corde amico locutus sum, scil. tibi; cui in bonum cooperabuntur quæ communi bono ex amico affectu data & facta sunt. Et quamvis non omnes reperturus sim hujus libri mox amicos; spero nihilominus doctrinæ contentæ eventurum, quod *S. Philippo Nerio.* Hic cum tempore bachanaliorum, quò mundus malè habitatus fuit excæcatâ insolentiâ, cum suis discipulis visitaret VII. Urbis Ecclesias, pro advertenda Dei indignatione, habuit quidem primitus *paucos* comites sectatores (*eò quia res nova tunc & insolita erat*) at labentibus annis habuit *plurimos* pientissimos imitatores, eos scil. quorû corda tetigerat Deus. Pariter ad consolationem meam, licet fortè quoad firmiter habitatos opposito affectu, non sit spes generalis huic Opusculo; attamen ad recentes testas aliter imbuendas & habituandas pro futuro, virtutem dare prævallet Deus: in cujus manu sicut est hic liber, sic &

AD LECTOREM

nota voluntas , & omne desiderium meum.
Vale, & communi bono mecum stude, utere, &
fruere, Deumque pro me deprecare.



Ad Lectorem Criticum, & communitatis religiosae osorem.

JAm tum sub-odoror, quid mediteris, quid ma-
chineris, cur stomacheris. Tibi, quod araneæ,
evenire doleo, quæ ex flore eodem, ex quo apis
pro communi in commune alvearium mel com-
portat, venenum fugit, aut potius mel in vene-
num vertit. Aranea se eviscerat, at pro suo privato
lucro: Charitas quoque se eviscerat, sed pro proximi
commodo, proque communi bono. Vide nunc,
an araneam imitêris, an charitatem sectêris. For-
tè tibi *primò* displicet ordo libri hujus? at in te
mihi maximè displicet dis-or-do. *Religio ideo vo-*
catur Ordo, quòd nihil in se inordinatum patiatur
(*S. Bonav. q. 14. circa Regulam S. P. Francisci*)
Est autem maximè inordinatum, quòd tu in ordi-
ne sine ordine tibi soli vivere satagas, soli tibi stu-
deas (utinam animæ soli, & non soli ventri!)
privata solùm quæras, communia negligas &c.
Si quid inordinatè dispositum extra debitum
locum in hoc libro reperias, id excusabit brevitatis
temporis, justa acceleratio operis, & tuæ (uti-
nam haberes!) perfectio charitatis. Si *secundò*
stylum impolitum mordeas, mordeas; nolebam
politiorum, ut & incipientibus & insipientibus
face-

CRITICUM.

sem intelligibiliorem, quibus me agnosco debitorem; ne legendo laborarent in intelligendo: quod sensi, verbis expressi, quò planius, eò melius; speroque, quò fructuosius, quò sterilius.

Tertiò æthiopem me lavare asseris, aut passerem adultum cicurare velle arbitraris, dum de vitæ communis amplexu loquentē adultis mixtim & incultis (si qui sint) ad aures surdas cantantem asseris. Sed vide, amabo, ne ex inimico Scriptoris, fias inimicus gratiæ authoris. Scis numquid, quòd sint duodecim hora diei? & quòd Judæi antiquiores sint facti Christiani primores & meliores? & quidem tales, quibus erant omnia communia, cor unum & anima una? anne abbreviata est manus omnipotentis? Ego plùs confido in senioribus fortioribus, quàm in junioribus mobilioribus; nam corona senum multa peritia (Eccl. 25. 8.) non multum loquaris, ubi sunt senes, (Eccl. 32. 13.) an tumultuabitur puer contra senem? (Eccl. 3. 5.)

Dices fortè: tot Summi Pontifices sudarunt, at frustra laborarunt; an ergo ego illis sapientior?
Resp. Si Summi Pontif. invenissent locales Superiores, eorumque Officiales & subditos ad vitam communem promptiores, non incassum sudassent. Deinde, cum (prout dicitur, in præfat. ad nostras Constitut. Pias.) non sit adeo sanctis Ordinibus distincta Religio, quæ aliquos minùs suæ professioni respondentes non habeat, ex quorum vitio publica sæpe in universos vergit infamia; eatenus non debent alii simili notâ traduci, nec tota Religio vilipendi. Quapropter cum nunc in Provincia hac nostra Colon. (de Tribus SS. Regibus appellata)

AD LECTOREM

pellata) tam Guardianos, aliosque Superiores locales, quàm subditos eorum fere omnes inveniat vitæ communis (prout in Constitut. Urbanis præscriptæ) amatores, futurosque zelatores, meritò gaudet Provincialis Minister eorum, qui, quod in aliis zelat, à se ipso inchoat. Itaque pacato sis animo: vide, sed non invide: vale, nil interpretare malè; nec amplius posthac inquietus quietos inquieta. Si nolis nobiscum tenere communem vitam, aliam cum Anania & Saphira ingreditor viam; quâ non gradiar tecum, sed, sicut professus sum, per Dei gratiam vivam, gradiar, & moriar in debita Sedi Apostolicæ reverentia & obedientia ✠.

Et esto, quamvis nullum hujus mei laboris experirer effectum aut fructum (quod non spero per Dei gratiam); sufficit mihi pro laboris solatio, & cordis mei tranquillamento, divinæ voluntati & subservisse, & paruisse. In quo etiam animum mihi addit & erigit *Em. noster Protector Cardinalis Colloredus* in gratiosa sua epistola 2da de 14. Febr. hujus anni 1699. in qua me suum infimum servum, & Provinciæ Ministrum sic extimulat: *quod me uberius reficit, tua est in voto paupertatis, atque in exacta observantia Constit. Urbanarum indefessa cura: cui adversari multos non miror; arcta enim est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt illam, non est tamen, quòd despondeas animum; Deus adjutor noster in aeternum. h. i.*

Immo (ut ad propositum tecum redeam, & tuo denti rodenti & invidenti lapidem injiciam)
h,

CRITICUM.

si, ita permittente & disponente divina providen-
 tia, nullus laboris hujus mei, sequeretur fru-
 ctus, ero lætior, securior, & gloriosior, at in
 Domino. Cujus securè gestientis lætitiæ causam
 me docuit *S. Franciscus Sales*. l. 9. de amore Dei
 cap. 6. dum inquit: *Pluris facio tranquillitatem
 animi in acquiescendo Dei voluntati, quàm
 magnanimitatem in exequendo proposito.* Cujus
 ille exempla præclara, & quidem mihi domesti-
 ca subnectit. *Primò S. Ludovicus Rex Gallia* (qui
 fuit Tertii Ordinis *S. P. Francisci*) per Dei inspi-
 rationem transmisit mare ingenti & potenti cum
 exercitu, ad terram sanctam recuperandam: at-
 tamen successus fuit contrarius, miles perit,
 ipsum pestis de mundo sustulit, ad cælestia
 transportavit; qui præviè in mortalitate huic
 divinæ providentiæ ita quasi contraria ordi-
 nanti humiliter & devotissimè acquievit. *Se-
 cundò, Sanctus Pater noster Franciscus*, Deo in-
 spirante provocatus proficiscitur in Ægyptum,
 ut ibi vel convertat infideles, vel inter eos glo-
 riosus martyr occumbat: & hujus itineris susce-
 ptio, intentionisque conceptio fuit voluntas
 Dei; & tamen rediit ipse, nullo horum exe-
 cutioni mandato; & hæc etiam fuit voluntas
 Dei. *Tertiò*, simili modo, fuit æquè volun-
 tas Dei, ut gloriosus *S. Antonius Patavinus*
 non fieret martyr in effectu, quàm quòd de-
 sideraret fieri martyr; unde ex hoc proposito
 concepto à cælesti flamine, ad Saracenos iter in-
 stituit, quod tamen divina providentia abrup-
 pit, & vi ventorum contrariâ ipsum aliò dedu-

AD LECTOREM

xit. *Quartò*, Gloriosus *S. Ignatius de Loyola*, cum tot laboribus & sollicitudinibus erexisset Societatem Jesu, ex qua videbat tot & tam insignes prodire fructus, & prævidebat in futurum adhuc insigniores prodituros, ausus est nihilominus Deo fidens promittere futurum, ut, si ea dissiparetur, & velut glacies æstivo & meridiano soli exposita (quod tamen acerbissimum fuisset infortunium, quod is subire potuisset) dissolveretur, intra mediam horam ad tranquillitatem rediret, & Dei voluntati acquiesceret. *Hac S. Franciscus Sales* lc. Insuper, & *Quintò*, cum *S. P. N. Franciscus* adhuc degens inter mortales videret, quòd Generalis Vicarius *Elias de Cortona* malè præesset Gregi Minorum, ac proinde supplex rogaret Divinam Majestatem, ut de alio & meliore Capite providere dignaretur; audivit tamen præter spem suam, quòd ille *Fr. Elias* deberet nihilominus resumere gubernacula totius Ordinis, quamvis notum esset orbi, quòd esset disciplinæ regularis contemptor, paupertatis sanctæ conculcator, laxitatum inventor, malorum promotor. Hac autem voluntate Dei percepta, vir Dei *Franciscus* humiliter obmutuit, dicens: *Iusta sunt judicia tua Domine: justificeris in sermonibus tuis: Tu potes ex malis facere bonos, & malum convertere in bonum. &c.*

Pariter ergo èt ego me totaliter divinæ providentiæ subjicio, sive sic, sive aliter ei placuerit ordinare; dummodo ego ex parte mea negligens

CRITICUM.

gligentia aut teporis subterfugiam iudicium.
NB. Interim etiam ex eodem obedientia affe-
ctu, & humilitatis sensu, omnia qua in hoc
libro aut ullibi umquam dixi aut scripsi, reve-
renter subijcio censurae & correctioni Summae
S. Sedis Apostolicae, Catholicae, Romanae. †

*Protractius tibi locutus sum, lector invide,
non, quia merebaris, sed ut converta-
ris: si non sapiat, alius
comedat.*



Approba